

J

M

+





SCIAGRAPHIA  
JUDICII MILITARIS  
CRIMINALIS  
ORDINARII,

vulgò

MALEFICE- *Kriegs=Bericht* /

Continens


*succinctum ordinem ac modum illud instituendi,  
riteque in Eodem procedendi,*

IN NOTITIAM ET USUM  
STUDIOSORUM,

PER TABULAM  
exhibita

Hy 909  
PAULO CIESIO, D.

JUSTITIÆ CANCELL. MEGAPOL.  
ADVOC. ORDIN.



ROSTOCHII,

Sumptibus JOACHIMI WILDII, Bibliop. Anno MDCCXI.







GENEROSIS, NOBILISSIMIS  
atque DOCTISSIMIS  
DOMINIS STUDIOIS,  
IN ROSARUM ALMA JURI OPERAM  
DANTIBUS

S. P.



Roma nos circumstant, *Fautores aestu-*  
*matissimi!* sed tantum abest, ut Musæ nostræ  
ab Armis fulgentibus faciem suam pallide  
avertant, ut potius, incitante Pallade, (hæc  
enim Arte pollet ac Marte) faciem advertant  
intrepidam. Et recte, dum probè volven-  
dum atqve revolvendum est, quod tempus  
Belli & Pacis, firmò nexu sit junctum. Dux  
& Autor hac in re etiam nobis est Impera-

tor Justinianus, qv̄i Nov. 26. cap. 1. in fin. *Omnibus, inquit, perspicu-*  
*um sit, quod militaris quidem res, si sola & per se consistat, ultra quàm*  
*debet, efferatur audaciâ, civilis verò, nisi admistum habeat robur mi-*  
*litum, infra mediocritatem auctoritate careat: utrumque autem, si in*  
*idem cum altero concurrat, omnium perfectissimum; & absolutissimum*  
*sit, quodqve tam ad gerendum Bellum, quam ad tuendam Pacem suffi-*  
*ciat.* Quid? quod si vel ipso Pacis tempore conditio Armorum neces-  
saria est cognitu, multò magis itaqve hæc tempestate, dum versamur Ar-  
morum inter strepitus. Est & Justitia in Armis atqve Bellis, rei qve  
militaris anima est in gravi Disciplina. Certe si Arma nulli subjace-  
rent juri, statusqve Militum esset exlex, Bellum degeneraret in Be-  
luinum quiddam, & Latrocinium. Milites ergò Militarum  
Ordinationum, Edictorum, & Articulorum bellicorum trans-  
gresso-

A 2



gressores rigidius plectuntur, imò vel leviora delicta nonnunquam ultimò vindicantur suppliciò. Sic transgressioni obex ponitur Judicii Militaris constitutione. Illud mihi ansam præbuit perscrutandi, quinam modus & usus, qua delictum militare, cognoscendi & dijudicandi inter Arma obtineat, non ut ita doceam, quid Militiæ Ducibus tunc agendum sit, utpote quæ sæpe Ratio Bellica, vulgò Raison de Guerre, justum reddit, quod videtur alioquin Justitiæ minus quadrare, sed ut *Vobis, Amici Lectissimi!* commonstrem, inter Arma non omnes filere Leges, nec Delicta ibidem manere impunita. Condonabor, credo, Sciagraphiam Judicii Militaris istius succinctam (dum gaudent brevitate moderni) in publicum emittens, polliceor namque ulteriorem illius explanationem, Casibus, Responsonibus & Decisionibus Militariibus stipatam, si ex *Vobis, Generosi ac Nobilissimi Domini!* haud desint, quibus inhæret animus, privatim mecum inquirendi tam in Judicii Militaris penetralia, quàm in numerum ac notitiam Scriptorum & Interpretum, qui vel Theologice, vel Juridice, vel Politice, vel Historice, de Re ac Arte Militari, deque Jure Pacis & Belli variis in lingvis scripserunt, quorum circiter septingentos mihi quidem notavi, sed in Eosdem inquirendo hætenus vix ultra centum (sunt enim non ubivis obvii) mihi acquirere potui. Quod superest, *Fautoris colendi!* ego in perscrutandâ Juris militaris prudentiâ, *Vobis* præsentibus, in id, *DEO auxiliante*, elaborabo, ut *Nos* neque temporis, neque operæ pœniteat. Interim comprecor à *Summo Numine*, ut *Studiorum Vestrorum*, & omnigenæ Prosperitatis incrementa *Vobis* largiatur, atque sic *Vos Patria, Parentumque Vestrorum* spem ac vota non modò impleatis, verum etiam superetis. Hisce valete, & Favore prosequimini

## VOBIS

obsequiose addictum

*Dabam Rostochii,  
die IX. Decembr.  
Ao, MDCCXI.*

*P. Ciesum, D.*



# JOVA! JUVA!



Espublica Armis decorata, Legibusque armata fit, imperat Justinianus Imperator (a) efflagitat necessitas, atque Disciplina Militaris (b) Et sicuti Legum Civilium, Statutorumque violatores pœnam incurrunt; sic & Leges bellicæ seu Articuli & Ordinationes Militares ob delicta patrata suis transgressoribus pœnam irrogant, Judiciô Sagatô seu militari eum in finem constitutô. Hujus respectu frustranea non erit consideratio

## I. QVOD EVOLUTIONEM TITULI, & quidem

INTUITU DESCRIPTIONIS, quæ est, quod Judicium Militare Criminale Ordinarium sit criminalis causæ personam militarem, seu in militiâ degentem concernentis justa discussio, & dijudicatio.

INTUITU DIVISIONIS, quæ desumitur variè, nimirum

*QVA CAUSAM EFFICIENTEM*, tunc dispescitur

*In Ecclesiasticum*, vulgò Consistorium Castrense nuncupatum. Sed de hoc nobis non erit agendum.

*In Seculare*, hoc à nobis tractandum erit.



A.B.

QVA FORMAM, atqve sic dividitur

IN ORDINARIUM, quod observatis Judiciis militaris solennitatibus ordinarie riteqve exercetur. De quo in sequentibus erimus solliciti.

IN EXTRAORDINARIUM, quod ejusmodi solennitatibus non inservit, estqve duplicis generis, nempe

*Vel Summarium*, & horum refertur

*Tum* Statarium, vulgò das Stand=Gericht.

*Tum* Hastatum, vulgò das Spieß=Gericht. (c)

*Vel Summariissimum*, quod exercet Carcerarius Generalis, der Ober=Provos / oder General Gewaltiger / gegen die unziemende Fouragierer / Plünderer &c. (d) Sed cum Judicio tam Summario, quam Summariissimò nobis res non erit.

QVA OBJECTUM, tumq; illud Judicium est  
AUT CRIMINALE, quod tractat Causas Criminales, easqve

*Vel Capitales*, de his nobis agendum erit.

*Vel Non-Capitales*, quarum intuitu nuncupatur Judicium Camerale. (e) Sed de hoc alià vice erit tractandum.

AUT CIVILE, quod exercetur in Causis Civilibus ad Jurisdictionem tum voluntariam, tum contentiosam spectantibus. (f) Quarum tractatio autem alii tempori reservatur.

A.

QVOAD



A.  
**II. QVOD PERSONAS JUDICIUM MILIT. CRIM. ORDINARIUM CONSTITUENTES.** Huc referuntur

TUM ILLÆ PERSONÆ, A QVIBUS ISTUD JUDICIUM EXERCETUR, Eæqve sunt

ET PRINCIPALES, qvatenus Judicium

*Vel Superius constituunt, atqve*

*Tum illud dirigunt, qvo refertur Superior alicujus Exercitus, vel Supremus Generalis, der Kriegsführende Herr / oder in dessen Absenn eine Generals-Persohn. Ejus intuitu mentio fieri potest qvoad Constitutionem & Officium in tali Judiciô subeundum. (g)*

*Tum in Eo assident, de qvibus agendum erit qvatenus eliguntur in Assessores, & in Judicio observare debent, qvidnam Officium ibi requirat. (h)*

*Tum in Eo consultant, huc refertur Auditor Generalis, der General-Auditeur, aut Ejus Locum-tenens, der Auditeur-Lieutenant. Illoqve respectu fieri potest monitum qvâ Ejus Constitutionem, & Officium in Judicio. (i)*

A. B. C. D.

*Vel*



A. B. C. D.

*Vel Inferius constituunt, & tunc respicitur*

AD PERSONAS ISTUD DIRIGENTES, qualis

*Ratione Regiminis Equestris* est Collonellus, der Obrister von der Cavallerie, aut Ejus Vicarius, der Obrist-Lieutenant. Et fieri potest mentio tam de Istius Constitutione, quàm Officio Judiciali. (k)

*Ratione Regiminis Pedestris* est itidem Colonelus, der Obrister von der Infanterie, aut Ejus Vicarius. Qua illum rectè fit monitum tam respectu Constitutionis, quàm Officii, quod illi in Judiciò incumbit. (l)

AD PERSONAS IBI ASSIDENTES, quæ tales sunt

*Aut in Regimine Equestri*, Illæ considerantur quoad Constitutionem, & Officium in Judiciò suscipiendum. (m)

*Aut in Regimine Pedestri*. Istæ Personæ itidem considerari merentur quâ Constitutionem & Officium Judiciale. (n)

AD PERSONAS IBIDEM CONSULTANTES, hujus loci est Auditor Regiminis, aut Ejus Vicarius. De Illò memorandum erit & quoad Constitutionem, & quoad Judiciale administrationem. (o)

A. B. C.

ET



A. B. C.

ET MINUS PRINCIPALES. Ex quibus alia  
Personæ

*Vel Judici Militari præbent*

AUT ADJUTORIUM, & hujus loci est Secretarius  
Militaris, quem consideraturus respicere po-  
terit ad Illius Constitutionem & administra-  
tionem in Judicio Militari. (p) Sed hoc of-  
ficium hodie plerumque Auditori solet in-  
firmul committi.

AUT SERVITIUM. Huc refertur Minister Ju-  
ciarius, der Gerichts-Webel / item Carce-  
rarius Regiminis, der Regiments-Profos, &  
alii, de quibus omnibus fieri potest relatio  
tum Constitutionis, tum servitii in Judiciò  
præstandi. (q)

*Vel aliis subserviunt, cujusmodi est der Stock-  
meister / der Stecken-Knecht / qui perpendi pos-  
sunt quâ Constitutionem & servitium. (r)*

TUM ILLÆ PERSONÆ, QVARUM CAUSA JUDICIUM  
ILLUD EXERCETUR, quæ sunt  
ET ACCUSATOR, isque

*Vel Ordinarius, cujusmodi est*

*Læsus à milite. (s)*

*Fiscalis Militaris, certo respectu, & quibus-  
dam in locis.*

A. B. C.

B

*Vel*



A. B. C.

*Vel Extraordinarius*, qui deficiente ordinariô admittitur ad accusandum, hujus loci est

Fiscalis militaris, certo respectu.

Carcerarius generalis.

Carcerarius Regiminis. De quorum omnium constitutione & administratione judiciali erunt quædam agenda. (t)

ET ACCUSATUS VEL INQUISITUS, sive sit superioris Ordinis, sive inferioris, sive existat in Castris sive in Præfidiô &c. (u)

III. QVOAD CAUSAS AD JUDICIUM MILITARE CRIM. ORDIN. SPECTANTES, quæ aliàs vocantur Militum Delicta. Et hæc sunt

VEL COMMUNIA CUM PAGANIS, eaque perpendenda veniunt

*QVA COMMISSIONEM*, quô respectu sunt

*Aut* simpliciter talia, quæ, sive paganus, sive miles ea committat, communi causarum criminalium pœnâ affici solent, e. g. homicidium, adulterium &c. (x)

*Aut* mixtim talia, quando nempe miles & paganus idem delictum quidem committunt, eandem

A. B. C.



A. B. C.

eandem tamen pœnam non sustinent, sed  
 gravius punitur miles, quam paganus, dum  
 respectu militis est delictum qualificatum (y)  
 Exemplum est in furto simplici à milite excu-  
 bias agente easdem autem deferente, commisso,  
 ob quod delictum gravior pœna militi, quam  
 ob furtum simplex pagano irrogatur.

*QVA POENÆ IRROGATIONEM*, cujus intuitu  
 distingvendum, quod delictum sit factum

*Sive à milite extra Militiam vivente*, tunc de eò  
 cognoscit & judicat Magistratus loci ordinari-  
 us, non Militaris.

*Sive à milite in Militia*, tunc variè à variis statui-  
 tur, sed tutius agitur, si respiciatur ad usum lo-  
 corum. (z)

VEL PROPRIA, SEU PURE MILITARIA, quæ à mi-  
 lite, quâ tali, committuntur, & vigore Constitu-  
 tionum bellicarum, Jurisque militaris, coërcen-  
 tur (aa) Ejusmodi delicta considerantur

*QVATENUS COMMITTUNTUR A MILITE*

*Aut contra suum officium*, quo refertur

*Tum militis contumacia*, & huc spectat

*Inobedientia mandato Ducis exhibita.*

A. B. C. D. E.

B 2

Decer-



A. B. C. D. E.

Decertatio cum hoste contra Ducis iussum.

Evaginatio gladii in commilitonem in castris aut præsidio. &amp;c. (bb)

*Tum* militis desidia, huc refertur

Armorum amissio.

Dormitatio in statione

Neglectio excubiarum.

Simulatio morbi ob hostium metum, &amp;c. (cc)

*Aut contra suam fidem*, & hujus loci esse dicitur

Fuga ex præliô.

Desertio vexilli.

Deditio dolosa.

Perjurium.

Transfugium

Proditio.

Seditio atrox &amp;c. (dd)

**QUATENUS PUNIUNTUR A MAGISTRATU.**

Et hic sciendum erit, quod ob talia delicta irrogetur

A.



A.

getur poena â Magistratu Militari, non autem loci seu Ordinario. Isthæc enim nullô aliô in locò cognosci & adjudicari qveunt, quam in Forô Militari, ceu Militum propriô. (ee) Nemo certe rerum militarium æqve peritus est, quam Judices militares. (ff)

IV. QVOAD MODUM PROCEDENDI IN JUDICIO MILITARI CRIMINALI ORDINARIO. Et quidem ductu istius Judicii hîc respiciendum erit

I. AD CITATIONEM, eamqve

AUT REALEM, qvâ Miles delinquens carceri includitur, idqve fieri debet justè. (gg)

AUT VERBALEM, qvæ fieri consuevit non rarò

*Vel viva voce* Ministri Judiciarii, des Gerichts-Webels / cûi incumbit, ut citet citandos, & certò quidem tempore ac modò, insgemein des Abends vorhero bey der Parole. (hh)

*Vel Scripturâ*, & expediri solet

*Sive privatim*, e. g. wenn dem delinquenten im Stock-Hause die Citation notificiret wird / damit er vorhero sich desto besser bedencken könne.

A. B.

B 3

Sive



A. B.

*Sive publicè, e. g. wenn ein Deserteur durch öffentli-  
chen Anschlag / und Trommelschlag citiret  
wird. (ii)*

2. AD COMPARITIONEM JUDICIS, ASSESSORUM &c.  
Illorum statutum tempus plerumque est hora matu-  
tina octava. (kk)

3. AD SESSIONEM. Fit Confessus juxta Ordinem pa-  
riter ac dignitatem militarem, nach der Officirer  
Ranges und Charges. Atque Præsidi plerumque  
affidet Auditor. (ll)

4. AD PROPOSITIONEM. Namque vel ipse Præses, vel  
Auditor præmissis Curialibus propositionem aperit,  
cujus mandatô, & quâ ex causâ Sessio illa sit institu-  
ta. (mm) Insuper non minus à Præsede, quam ab  
omnibus Assessoribus solet præstari Juramentum  
de causâ rectè cognoscenda & ritè judicandâ. (nn)

5. AD CAUSÆ COGNITIONEM, quæ potest perpendi

*Tum quâ Tempus certum, cujus intuitu erit statuen-  
dum, quod, licet diebus Festis Judicium aliàs non  
fit instituendum; ad Disciplinam tamen Militarem  
spectantia vel in ipsis Feriis sint cognoscenda &  
dijudicanda. (oo)*

*Tum quâ ipsam Cognitionem. Silentio quidem hîc non  
est involvendum, quod refertur: daß mau int  
Kriege*

A.



A.

Kriege nicht viel disputire, sondern schlechterdings es heisse: Knüpf auff! (pp) nihilominus tamen quoad Judicium Ordinarium Militare necessaria est Cognitio, quæ instituitur

ET PAULO GENERALIUS, dum perpenditur, quod in Judiciô Militari Causæ Cognitio non inserviat Solennitatibus Judiciî Communibus, sed saltem sequatur requisita Jure Gentium ad Judicium justè instituendum introducta, (qq) haud ommissis iis, quæ Disciplina Militaris suggerit.

ET SPECIALIUS. Tunc eâ ratione poterit Causæ cognitio fieri ductu sequentium requisitorum, & circumstantiarum:

*Quisnam* delictum commiserit? num sit tyro, an veteranus? &c.

*Quid* commissum sit, num crimen illud sit commune, an proprium seu pure militare? &c.

*Ubi* delictum sit patratum, utrum in hybernis, an in Expeditionibus? &c.

*Quibus auxiliis* miles deliquerit, num scil. solus, an unâ cum aliis? &c.

Cur

A. B.



A. B.

*Cur?* & quoniam animo crimen à milite fit perpetratum?

*Quomodo?* & num armatâ manu, an sine armis ille deliquerit? &c.

*Quando?* & num diurno an nocturno tempore delictum fit factum? &c. (rr)

6 AD DIJUDICATIONEM, vi Cujus pensatur

I. JURIS APPLICATIO AD DELICTUM COMMISSUM.

Norma judicandi sunt Leges Militares, Articuliqve bellici, Ordinationes & Edicta, quæ ad Disciplinam & rem militarem spectant, promulgata. &c. (ss)

II. VOTORUM LEGALIUM CONSIGNATIO, quæ ponderatur

*Intuitu Collectionis*, & tunc erit studendum

a *Ut* fiat eò ordine, quò prius Vota ferant Assessores infimæ Classis, deinde reliqui usq; ad Superiores & Præsidem. (tt)

b *Ut* vota Præsidi & Auditori clam aperiatur. (uu)

c *Ut*, si ferantur Vota illegalia, votantes paululum ex confesso discedant, & accuratius inter se Causam ponderent. (xx)

A. B. C. D.

d *Ut*



A. B. C. D.

d *Ut Auditor ipse conscribat Vota.* (zz)

e *Ut Auditor Assesores moneat, ne propalent Vota.* (aaa)

f *Ut suo quisque Voto subscribat.* (bbb)

*Intuitu Computationis, & hâc ratione observandum erit, quod Vota sint*

*AUT PARIA, quò casu Auditor denuò colligere debet Vota singulorum, ut aliis in aliorum Sententiam transeuntibus obtineat ea pars, quæ est numerosior.* (ccc) *Si Vota nihilominus maneant paria, tunc respiciendum erit*

*Num Auditori competat facultas votandi?*  
 Et sic ille *Votum suum alteri parti addendo efficiet pluralitatem.*

*Num Auditori denegata sit potestas votandi?*  
 tum Præses per *Votum alteri parti allatum, imparitatem reddit.* (ddd)

*AUT IMPARIA, hòc casu tam Præses, quam Auditor adstricti censentur, ut sequantur Vota Majora, nisi ea adversentur veritati & Juri Naturæ, tunc namque prævalebunt saniora.* (eee)  
*Nec habetur respectus Votorum quâ personam, cujuscunqve sit dignitatis, status, aut præeminentiæ, juxta tritum: daß im Kriegs-Gerichte eines gemeinen Soldaten und Officirers Votum gleich gelten sollen.* (fff)

A. B.

C

III, SEN<sup>r</sup>



A. B.

## III. SENTENTIÆ CONCEPTIO, cujus ratio habenda est

*Tam* quoad requisita, respectu *Formæ**Tum interne*, hujus intuitu requiritur*Ut* complectatur*Vel* condemnationem*Vel* absolutionem.*Ut* conveniat Articulis bellicis, consuetudini & stylo militari. (*ggg*)*Tum externe*, & tunc requiritur*Ut* Sententia sit brevis.*Ut* adsit subscriptio.*Ut* addatur subsignatio. (*bbb*)*Quam* quoad conceptionem ipsam, & hîc notandum, quod Sententia lata, priusquam Actis inferatur, concipi singulatim, & in plenô Judiciô prælegi soleat, posteaque denuò describi, & ad scribendum atq; subsignandum produci. (*iii*)IV. SENTENTIÆ RATIFICATIO, â GENERALI VEL SUPERIORI FACIENDA. (*kkk*)V. SENTENTIÆ REFORMATIO, & AGGRATIATIO. (*lll*)VI. SENTENTIÆ RESCISSIO PER APPELLATIONEM, (*mmm*)VII. SENTENTIÆ PUBLICATIO, quæ præfixô terminô est instituenda juxta stylum usitatum & ritum Regiminis. (*nnn*)

A.

AD



A.

7. AD EXECUTIONEM. Hujus mentio est facienda

*Quatenus illa est ordinanda.* Post Sententiæ publicationem condemnatus miles ad supplicium deducitur subeundum, & jubere solet Auditor, ut Carcerarius, vulgò *der Profos*, condemnatum Carnifici exhibeat, qui Sententiam in eum exequatur. Cui condemnato triduum ante ipsam Executionem annunciari solet, ut se præparet ad supplicium sustinendum. Die Executionis adventante fit comitatus militaris, quò condemnatus ad supplicii locum deducitur. (ooo)

*Quatenus est expedienda,* & quidem illa à Carnifice fieri debet exactè juxta Sententiæ publicatæ tenorem, quæ ordinarie hæc continet verba: *der Delinquent solle vom Leben zum Tode gebracht werden.* Hinc Sententiæ satisfactum dici nequit, si miles suspensus quidem, sed ruptò laqueò in terram vivus decadat, nisi miraculosi quid contingat, ut tunc Executio differatur, ad inquisitionem delicti denuò instituentiam. (ppp)

*Quatenus est finienda.* Nam factâ Executione Auditor alicubi consuevit in Conductus militaris præsentia adhibere admonitionem. (qqq) Plerumque autem tale officium incumbit Concionatori Castrensi, aut alii Pastori, condemnatum ad supplicii locum concomitanti.

C 2

EPILO-



---

# EPILOGUS.

**H**Æc sunt, *Lector Candide!* quæ in publicum edere & temporis & Instituti ratio permisit. Me quidem non fugit, hanc Sciagraphiam omnibus numeris non esse absolutam, nec ibidem forsân deesse errores, (nam errare humanum est) sed illorum veniam spero, atque sic à Benevolo ea, quæ delineavi, in bonam partem acceptum iri confido, malevolum autem, qui suum Theoninum dentem in me acuere conatur, volo monitum, ut non sit immemor illius: *quò magis quis est doctus & sapiens, eò minus hic in alium evomit convicia.* Ceterum quæ ego supra per Compendium proposui, ea sunt pro Institutò meo satis, pro materiæ amplitudine nunc pauca, dum plura reservo alii occasione, plurimas autem grates D. T. O. M. jam persolvo, pro ope ac clementiâ, quâ conatibus meis adspirare voluit, Cui sit

*LAUS & GLORIA*

absq̃

*FINE.*

---

*Series*



Series  
AUTORUM & ALLEGATIONUM.

**S**ubſequentia allegata eum in finem ipſi Sciagraphiæ non inſpergere, ſed hic annectere volui, debui, ne illius connexio Legenti interrumpatur, id ut amicus Lector benè advertat, nec vitio mihi vertat, eſt quod rogitò

- (a) Vid. *Proæm. Inſtit. in princ.*
- (b) Conf. ADAM PYSETZKY in Fasciculo Differat. Statum Politicum & Bellicum concernent: *Cap. 2. de Bello. §. 21.*
- (c) JOACH. BURGER. in *Obſervat. Juridico - Politico - Militar. Cent. 2. Obſ. 97.*
- (d) Add. JOH. FERDIN. BEHAIMB in *Tr. de Milite delinquente juſtè puniendo, aggratiando & conveniendo in privilegiato Militari Judiciò Obſerv. 89.* Et DN. MICH. GRASSIUS P. P. TUBING. in *Diſput. de Eo quod juſtum eſt circa Pabulatorias Militum Excursiones. Theſ. Ult.*
- (e) Vid. BURGER. d. l. *Obſ. 97. in fin.*
- (f) Conf. CHRISTOPH. LOBRINI *Annotat. ad Lazari Schwendii Kriegs-Diſcourſ. pag. 87.* & MARANT. in *Specul. Aur. P. 4. diſt. 1. n. 2.*
- (g) Add. CONRAD. FRIEDLIBII von Friedensberg *Tr. de Armorum, Militumqve Jure Cap. 10. §. 3.*
- (h) Jung. BEHAIMB. d. l. *Obſ. 83.*
- (i) Vid. BURGER. d. l. *Cent. 2. Obſ. 100. Cent. 4. Obſerv. 1, 2, 3.* & BEHAIMB. d. l. *Obſ. 85.*
- (k) Conf. FRIEDLIB. d. l. *Cap. 10. §. 3.*
- (l) Conf. FRIEDLIB. d. l. *§. 3.*

C 3

(m) Vid,



- (m) Vid. BEHAIMB. *d. l. Obs. 83.*
- (n) Ibid. *Obs. 83.*
- (o) Ibid. *Obs. 85. 86.* & BURGER. *d. l. Cent. 4. Obs. 1. 2. 3.*
- (p) Add. *Die neue Kriegs-Canzley. p. m. 61.* & *Spatens (aliàs Stieler's) AUDITEUR P. 1. Cap. 2. S. 7.*
- (q) Conf. HENR. CHRISTIAN *Schröters Disputat. de Auditoribus Sect. 10. Membr. 7. circa fin. & SPATE! d. l. S. 9.*
- (r) Vid. BEHAIMB. *d. l. Obs. 90. p. tot.*
- (s) Add. BEHAIMB. *d. l. Obs. 80.*
- (t) Jung. BURGER. *d. l. Cent. 2. Obs. 98. num. 5. & LOBRIN. d. l. p. m. 413. 416.*
- (u) Conf. I. P. VON *S. Tr. de Jurisdictione Militari cap. 6. post. 1.*
- (x) Adj. BOCERI *Tr. de Bello & Duello. Lib. I. cap. 14.* & MEIER in *C. I. A. ad ff. tit. de Re Milit. th. 15.*
- (y) Confer. H. C. K. im *Auditeurs-Reglement. Sect. 2. Cap. 3. S. 19. p. m. 54.*
- (z) Vid. GEORG. CONRAD. BAYERI (*Culmbac. Audit. & Secretar.*) *Disputat. Inaugural. de Foro Militum privilegiato. cap. 3. S. 9. p. m. 21.*
- (aa) Add. BEHAIMB. *d. l. Obs. 48.* & GEORG. WERNERI (*P. P. Helmstad. & Dicasterii ibid. Assess.*) *Disputat. de Re Milit. th. 59.*
- (bb) Conf. MEIER. *d. l. th. 15.*
- (cc) Vid. MEIER *d. l.* & DN. WERNER. *d. l. th. 61.*
- (dd) Add. FRIED. NITSCHIUS (*P. P. GIESS.*) in *disput. de Juri- bus Militum singularibus. Cap. 1. S. 7.* DN. WERNER. *d. l.*
- (ee) Conf. NITSCHIUS *d. l.* & BRUNNEMANN. *ad L. fin. C. de Re Milit. & COCH. in Pr. For. Germ. P. 1. c. 3. S. 16.*
- (ff) Vid. MEV. *Prodrom. Jur. Gent. Inspect. 9. S. 16.*
- (gg) Adj. JOH. VOET. *de Jure Milit. cap. 7. num. 5.*
- (hh) Conf. H. C. K. im *Auditeurs-Reglement Sect. 3. cap. 1. S. 23. p. m. 66. 67.*

(ii) Vid.



- (ii) Vid. *Spatens Auditeur P. 1. cap. 7. p. m. 349. & die neue Kriegs-Cantzeley. §. 12. p. m. 161. 162.*
- (kk) Conf. SCHROETER *d. l. Sect. 10. Memb. 4. p. m. 69.*
- (ll) Add. SCHROETER *d. l. p. m. 70.*
- (mm) Vid. H. C. K. im Auditeurs-Reglement. *Sect. 3. cap. 1. §. 24. p. m. 68. 69.*
- (nn) Add. H. C. K. *d. l. §. 24. p. 69. 70. 71.*
- (oo) Vid. CASPAR ZIEGLER *Disput. de Privileg. Milit. §. 22.*
- (pp) Add. PETR. PAPPUS *ad Jus Milit. Holland. Art. 28.*
- (qq) Consul. MEV. P. 8. *Dec. 92. & FRIEDLIB. d. l. c. 10. §. 3.*
- (rr) De his requisitis conf. Schröter *d. l. Sect. 10. memb. 1. & EBERHARD HOYER ad Jus Milit. Brandenb. Art. 7. p. m. 100.*
- (ss) Add. CASP. ZIEGLER *ad Jus Milit. Brunswic. Art. 94. & GERH. FELTMANN in Respons Milit. 4. n. 22.*
- (tt) Vid. Schröter *d. l. Sect. 10. Memb. 5. p. 73.*
- (uu) Conf. Schröter *d. l. p. 73.*
- (xx) Jung. Schröter *d. l. p. 73. & H. C. K. im Auditeurs-Reglement Sect. 3. cap. 2. §. 31. p. m. 76.*
- (zz) Add. H. C. K. *d. l. §. 31. p. 75.*
- (aaa) Confer. Schröter *d. l. Sect. 10. Memb. 5. pag. m. 74. in pr.*
- (bbb) Add. H. C. K. *d. l. §. 31. p. m. 77. in pr.*
- (ccc) Jung. hic BURGER. *in Observ. Milit. Centur. 4. Observ. 2. pag. m. 206.*
- (ddd) Add. BURGER. *d. l. Cent. 2. Observ. 99. & BEHAIMB. de Milite delinqv. &c. Obs. 85.*
- (eee) Vid. BURGER. *d. l. Cent. 4. Obs. 2.*
- (fff) Conf. CARPZOV. *P. 1. Dec. 82. num. 27.*
- (ggg) Add. Schröter *d. l. Sect. 10. Memb. 6. pag. m. 76. in fin. & pag. 77. in pr.*
- (bbb) Juxta Schröter *d. l. pag. m. 77. 78.*
- (iii) Confer H. C. K. *d. l. Sect. 3. cap. 2. §. 33. in princ.*
- (kkk) Monente H. C. K. *d. l. §. 35. p. m. 83.*

(lll) Add.



- (lll) Add. BEHAIMB. *d. l. Obs.* 73. *per tot.* & BURGER. *d. l. Cent.* 3. *Obs.* 5.
- (mmm) Quà de re consuli potest BEHAIMB. *d. l. Observ.* 84.
- (nnn) Vid. H. C. K. *d. l. Sect.* 3. *cap.* 2. *S.* 36. *pag.* m. 84.
- (ooo) Conf. CHRISTOPHORUS BESOLDUS in Tr. de Jure Belli *in fin.*
- (ppp) Add. LIMNÆUS de Jur. Publ. *Tom.* 2. *Lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 300. & GEORG. ADAM, STRUVIUS in Disp. von uns gehängten Dieben *cap. ult.* *S.* 2. *ibique alleg.* Dd. BO-CER. in Tract. de Furtis *cap.* 3. *S.* 47.
- (qqq) Vid. H. C. K. *d. l. Sect.* 3. *cap.* 2. *S.* 40. *pag.* m. 87.






Vg 909

V. 18

**ULB Halle** 3  
005 725 372  







SO  
JUDIC  
CR

A  
ARIS  
IS

MALEF

Bericht /

*succinctum or*

stituendi,

IN

Hy 909

PAUL

D.

JUSTIT



Sumptibus JOACH

MDCXXI.

